

Romani in Festo SS. Reliquiarum; dummodo in designanda die non occurrat Duplex primæ vel secundæ Classis, Dominica privilegiata, Feria, Vigilia ac Octava itidem privilegiata: non omissa Missa conventuali vel parochiali, quatenus in dictis Ecclesiis illam celebrandi onus adsit, ac servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 23 Maii 1870.

*C. Epus Portuen et S. Rufinæ* CARD. PATRIZI.

*S. R. C. Præf.*

---

CONCESSIO OFFICII SS. ZENONIS ET SOC. MART

*Sancti Germani*

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, referente infrascripto substituto Secretariæ Congregationis Sacrorum Rituum clementer deferens supplicibus votis Rmi. D. Joannis Langevin Episcopi Sancti Germani benigne annuit ut amodo a clero Diocesis prædictæ sæculari et regulari Diocesano calendario utente, die IX. Julii persolvi valeat sub ritu duplici minori officium cum missa in honorem Sanctorum Zenonis et Sociorum Martyrum concessum Basilicæ Liberianæ in Urbe: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 24 Martii 1870.

*C. Epus Portuen. et S. Rufinæ* CARD. PATRIZI

*S. R. C. Præf.*

*Pro R. P. D. Dominico Bartolini Secrio*

JOSEPHUS CICCOLINI *Substus.*

---

PECULIARIS ORDO IN PROPRIIS ECCLESIIS

*Illme et Rme Dne,*

Exposuit A. Tua huic Sacrorum Rituum Congregationi Te statuisse ut a Parochis et Missionariis in ista Diocesi existentibus peculiaris Ordo in propriis Ecclesiis Divini officii recitandi ac Sacrosancti Missæ Sacrificii celebrandi ad Te transmitteretur ut certo Tibi innotesceret num singuli hi Ordines ad Rubricarum